Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36544
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

magicam primus aram statuit demonibus honorem sanguinis litans.
Quinta decima generatione primo omnium homines ydolum statu-
entes adoraverunt. et usque ad illud tempus divinitus
humano generi data hebreorum tenuit lingua monarchi-
am. Sexta decima generatione moverunt ab oriente filii homi-
num. et venientes ad terras patrum suorum. unusquisque fortis sui locum
proprii vocabuli appellatione signavit. Septima decima generatio-
ne apud babyloniam nembroth primus regnavit urbemque construx-
it. et inde migravit ad persas eosque ignem colere docuit. Octava
decima generatione murate urbes facte sunt et exercitus institu-
ti. armaque et iudices. legesque sancte templa condestructa et principes
gentium tanquam dii adorati sunt. Nona decima generatione poste-
ri illius qui post diluvium maledictus est proprios terminos exceden-
tes quos in occidentalibus partibus sorte susceperant. eos qui medium
terre fuerant locum sortiti intras orientis expellunt et usque ad
persydem fugant. ipsique in expulsorum locos iniqua sorte succedunt.
Vicesima generatione ob incesti crimen primus morte propria filius
ante patrem defunctus est. Vicesima prima generatione extitit vir
quidam sapiens ex genere eorum qui fuerant expulsi ex semine pri-
mogeniti filiorum noe. nomine abraham a quo nostrum hebreorum ducitur
genus. Hic cum universus iterum mundus diversis erroribus esset oppressus.
et pro inmanitate scelerum maturum ei pararetur excidium non iam per
aquam sed per ignem. cumque iam plaga initio a sodomitis sumpto immi-
neret universo orbi terrarum. pro amicitiis quibus erat ei et familiari-
tas cum deo cui bene placuerat. universum mundum ne pariter periret
eripuit. Ab initio tamen ceteris omnibus errantibus. ipse cum arte esset
astrologus ex ratione et ordine stellarum agnoscere potuit con-
ditorem. eiusque prudentia intellexit cuncta moderari. Unde et
angelus assistens ei per visum plenius eum de his que sentire cepit